



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque  
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac  
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico  
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

**Sfondrati, Celestino**

**[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.**

11. Tertia Epistola Alectensis Episcopi ad Regem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38277**

Cathedralis & Collegiata B. Virginis de Campo Ecclesiarum, ne quemquam obtentu Regaliæ in dicta Beneficia recipiant, installent, &c. sub poena suspensionis ipso facto, &c. Ipsos verò taliter provisos sub poena Excommunicationis ipso facto incurrendæ, &c. Data in Aedibus nostris Episcopalibus die 27. Octob. Anno 1677.

Franciscus Episcopus Apamiensis.

*Notandum est, Anno 1677, die 22. Octob. similem ferè Constitutionem à Reverendissimo & Illustrissimo Episcopo Alectensium edictam fuisse, contra sententiam Officialis Metropolitanani Narbonensis, qui ejusdem Episcopi Mandata, Constitutiones, ac Censuras contra Magistrum Petrum Gaston irritas declaraverat.*

## Documentum XI.

Epistola Episcopi Alectensis ad Regem  
Christianissimum.

25. Octob. 1677.

Mihi ultima vitæ meæ momenta numeranti, & quid faciendum supersit, ut Divino Tribunali securus sistas, animo repetenti, occurrit illa Christi Domini nostri sententia, quâ jubemur: *Prusquam Sacrificium ad Altare offeramus, fratri nostro, qui aliquid adversum nos habet, reconciliari.* Cum ergo jam tempus accedat, ultimum Sacrificium, hoc est, vitam meam Deo immolandi, credidi necessitatem mihi præcipuè incumbere, placandi animum Majest. Vestræ. Quam ab aliquo jam tempore, ob ea, quæ circa Regaliam contingere, offensam mihi, aversamque experior; tamen possum Majestati Vestræ asseverare, me semper eo sensu animoque

animoque fuisse, quæ fidelissimum subditum deceant; quantumvis Regaliam quod attinet, officij, ac Dignitatis meæ ratio eò impulerint; ut cogerer aliqua facere, voluntati, ac Mandatis Majestatis Vestræ minùs, quàm cuperem, accepta; & tamen id ipsum per litteras meas ausus sum Eidem significare, idque eâ libertate, quæ Episcopos decet, Sacrorum Jurium Depositariorum: & nunc quoque in hoc vitæ mortisque meæ confinio Majestati Vestræ profiteor, me nihil aliud egisse, quàm quòd crederem Conscientiæ, ac officio meo deberi; idque unicum esse dolori meo solatium, & quo spero Deum non esse mihi eam indignationem adscripturum, quam in pectore Majestatis Vestræ dolens mærensque experior; nec ideò tamen has ultimas obligationis meæ partes explere omittam, simulque hanc ultimam à Majestate Vestra gratiam expetere, dignetur tribus illis ex familia mea Ecclesiasticis Personis, ejusque Mandato proscriptis veniam clementer impertiri, quippe nullius culpæ reis, quàm quòd Episcopi, legitimi superioris sui, quémque Divinæ voluntatis interpretem agnoscebant, præceptis obediverint. Non diffido, si modò Majestati Vestræ placuerit id secum reputare, veniam merituros, ac præsentibus angustijs, quibus conflantur, ereptum iri. Impleat Deus Majestatem Vestram cœlestibus Suis Beneficijs, fámque ad amussim Divini sui cordis, ac voluntatis Regem efficiat. Id unicum est ejus votum, qui plenus venerationis, ac reverentiæ est, eritque semper.

Alecti 25. Octob. 1677.

Majestatis Vestræ

*Humillimus, Obsequentissimus & Fidelissimus  
Servus ac subditus*

Nicolaus Episcopus Alectensis.

F f

Docu-

Italia  
Indicata  
Ca III  
230